

DE AMICITIIS.

Si duodecimæ domus initium quintus gradus Scorpionis possederit, talis à propria familia tradetur.

Si Iupiter uel Venus dominus duodecimæ fuerit, inimicitia nato non nocent, sed euadet foeliciter, & eius inimici prosperabuntur. Si autem infortunæ hanc domum aspicerent, natus prosperabitur de inimicis suis.

Dominus partis inimicorum in ascendente, significat quòd multi inimicorum occultorum reconciliabuntur ei ultro sua sponte, ex se moti ad hoc.

Dominus ascendentis si applicat planetæ existenti in duodecima, significat quòd natus primo se applicabit ad concordiam cum suis inimicis occultis.

Luna cum Marte in tertia domo, significat natum lucri cupidum, alieni auidum, malumq; & illatorem iniuriarum.

Dodecatemorion Saturni in domo Martis, significat anxietates, indigentias, & tristitias.

Si Mercurius sub radijs in angulo in aspectu infortunarum fuerit, natus spoliabitur, aut incarcerabitur.

Saturnus in cancro, significat quòd natus erit contrarius alijs hominibus in omnibus eorum factis.

Dominus ascendentis in duodecima in humano signo, si fortuna eum non aspexerit, natus capietur in uijs, aut bellis. Quòd si dominus octauæ eum aspexerit, siue sit planeta fortuna uel infortuna, à captiuitate liberabitur. Si uero dominus orientis in hac combustus fuerit, in captiuitate morietur.

Si Mars Almuten natiuitatis non fuerit iunctus beneuolis, natus incendium patietur.

Pyratæ erunt, in quorum genituris Luna diurno tempore in gradu ascendentis constituta, Martem, ac Saturnum uiderit alium genituræ cardinem occupantes, aut secum ascendentes habuerit.

Si fuerit Luna in septima, diurna existente natiuitate, natus incommoda habebit in locis humidis, ut sunt lacus & flumina. Item à latronibus, & prædonibus, ac incurfus in locis externis. Et si cum hoc fuerit in aspectu infortunarum forte interficietur.

Mars in Medio cœli in signo humano, facit homicidam, & deceptorem, maxime si Luna fuerit cum eo in die. Sed in ascendente si fuerit in nocte, natus abhorrebit homines, & ipsi eum uicissim.

Beneficæ in octaua dominantes, damnum à uiris bonis afferunt, quæ si bene affectæ fuerint, illud dimouebunt. Si bono loco malefica stella dominetur, eueniet nato bonum improbi uiri opera, & beneficio.

Quando malefica in locum beneficæ alterius genituræ inciderit, is qui beneficam habet, ab eo qui habet maleficam detrimento afficietur. Vt **A** habet Iouem in piscibus in secunda domo, **B** habet Saturnum in secunda domo, hæ stellæ sibi inuicem aduersantur **B** ipsi **A** nocumentum inferet. Genus autem inferendi damni à proprietate loci iudicandum est, quare damnum id in pecunia erit, & quidem per dolos, calumnias, fraudes, accusationes, & occulta simulataq; consilia, quorum Saturnus est significator, Quòd si Mars ibi fuerit inuentus, erunt damna per uim, iram, direptiones, latrocinia, gladium, incendia, & alia mala, quæ à Marte significantur. Idem dices & in cæteris domibus, pro cuiusq; proprietate. Rursus si **A** & **B** uterq; Iouem in secunda domo habuerint, aut alter Iouem, alter Venerem, ipsi sibi magno inuicem usui futuri sunt. Contra si alter Saturnum, alter Martem habuerit, aut eundem ipsum maleficum, siue Martem, siue Saturnum, inuicem alter alterius pecuniæ inlidiabitur.

Dominus